

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opvscvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,
Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

III. Meditatio De Incremento Physices Per Medicos Facto, Qva Medico De
Eadem Scientia Optime Merito Viro Magnifico Excellentissimo Atque
Experiemtissimo Dn Ioanni Iacobo Baiero [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

III.
MEDITATIO
DE
INCREMENTO PHYSICES PER
MEDICOS FACTO,

QVA
MEDICO DE EADEM SCIENTIA OPTI-
ME MERITO VIRO MAGNIFICO EX-
CELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNI IACOBO
BAIERO**

PHILOS. ET MED. DOCTORI
PRAX. BOTAN. ET CHIMIAE PROFESSORI
PUBLICO ORDINIS SVI SENIORI PHYSICO NORIME.
ET POLIATRO ALTORF. NEC NON ACAD.

IMPER. NAT. CVR. COLLEGAE

S P O N S O

Cum Virgine Sexus Sui Virtutibus Ornatisima
**SOPHIA MAGDALENA
SCHOENERIA**

S P O N S A

NVPTIAS SECUNDAS CELEBRANTI
INTER PIA VOTA GRATVLATVR
M. SIGISMUNDVS IACOBVS APINVS,
DESIGNATVS
ALVMN. NOR. ET OECONOM.
INSPECTOR.

VIR



*Vir Magnifice atque Experien-
tissime.*

Xsolvo hodie & ego inter eos, qui nuptias secundas Tibi vere secundas esse cupiunt, officium, quod præter affinitatis vinculum multis amoris Tui documentis obstrictus, iam dudum præstare laboravi. In eo autem dum versari animus est, non incommode fore putavi, si hoc ipso die sacro nuptiali pias inter preces faustasque acclamations in lucem ederem meditaciones meas, *DE INCREMENTO PHYSICIS PER MEDICOS FACTO*, diu mecum susceptas. Nam & Te, Vir Experienciamissime, tam nobilissimæ disciplinæ Amplificatorem solertissimum omnes norunt & ex merito venerantur.

Mea enim sententia multum refert ad veram culturam Physices ea Historiæ Literariæ pars, qua, quid rerum naturalium periti in rerum contemplatione atque inventione earumque dispositione ad vitæ humanæ usum, perfecerint, monstratur. Sicuti autem in naturæ scrutinio dupli potissimum



tissimum ratione peccatur, vel sensibus nimium tribuendo, vel nimiam argumentandi subtilitatem sectando; ita duplicem hunc errorem aliosque plures defectus detectit Historia Physica (a), quæ quomodo sit instituenda, & quos jamjam scriptores habuerit, docet MORHOIVS (b), qui vero omnesita eam tradidere, ut, vel quæ incrementa & decrementa a condito genere humano usque ad Aristotelem & nostra tempora passa fuerit hæc disciplina, vel qui duces ex antiquioribus & recentioribus sint eligendi, exponerent; quantopere vero illa hoc in seculo a multis, & quibus, sit restituta & aucta, altum silentium est.

Inter illos vero, qui singulare quid hac in scientia perficienda præstiterunt, non postremum sibi locum vindicant MEDICI, qui inventis suis præclaris scientiæ naturali novam quasi lucem reddiderunt, quamquam ideo BACONIS, HAMELII, BOYLEI, CARTESII, STVRMII, aliorumque præstantissimorum virorum merita non sua laude

(a) Ut bene monet M. A. N. HÜBNER in diss. de Cultura Philos. natural. Halæ Magd. 1713.

(b) Polyhist. T. II. L. II. c. 2. p. m. 152.

Jaude sint defraudanda. Digna certe hæc
esset materia, quæ fusius paulo exscribere-
tur, sed chartæ spatiū iubet in σκιαγραφίᾳ
saltem tradere, quæ alia occasione proli-
xius emarrare, εἰς τὸ Θεός θελήσῃ καὶ γένσωμεν,
mecum constitui.

Cum autem Homo, utpote nobilissi-
mum Physices obiectum, sibi notissimum
esse debeat, naturam corporis humani ac-
curatius rimati sunt Philosophi, postca-
quam illis via quasi monstrata est per Ana-
tomiæ studium. Nolo nunc recensere, quæ
de HARVÆO, ASELLIO, BARTHOLINO,
GLISSONIO, MALPIGHIO, PEYERO, WAR-
THONO, SCHWAMMERDAMMIO, NEED-
HAMO, aliisque Medicis famigeratissimis
doctissime iam collegit S. R. BVDDEVS (c);
neque etiam inventionem microscopio-
rum, quæ maxime ad detegendam corpo-
ris humani structuram inserviebant, LVD.
SEPTALIO tribuam, cum alii DREBBELIO
vindicare malint; sed illud potius ex ad-
ductis concludam, ante horum celeberrimi-
orum virorum studium cognitionem

no-

(c) Capite I. Philos. theoreticæ præmisso. Conf.
PASCHIUS de Inventis - NovAntiquis.



nostram de nobis metipsis & animalibus
fuisse admodum mancam & imperfectam,
adeoque in plerisque antiquioribus compendiis Physicis plane prætermissam. Ni-
hil ibi legimus de *structura animalium*, nihil
de *bombycis*, *insectorum*, *piscium*, *testaceorum*
natura, nihil de *plantis* &c. At enim vero,
si WILLVGHBEII, RAII, REDI, RONDELETII,
BLASII, LYSTERI, HERMANNI, MORISONI,
TOVRNEFORTII, aliorumque Medicorum stu-
pendam industriam in describendis *variis* aut
unius generis animalibus, plantis, notisque
earum characteristicis indicandis paulo at-
tentius considerabimus, facile, quantum
Medicis debeamus, iudicabimus. Si porro
CORPORA PARTIALIA INANIMATA intueor,
quæ Physicus, qua talis, præterire non de-
bet, v. g. *fossilia*, *sallum varia genera*, *succos*
oleosos & *sulphureos* sub terra reperiundos, *lapi-*
des & *saxa*, certe & in horum natura dete-
genda, Medici ætatis nostræ nihil fecerunt
reliqui, ita, ut, quicquid solidi de his omni-
bus ad nostram hactenus pervenit notitiam,
id tantum non omne ex Medicorum ac-
curatiori inspectione atque observatione ad
nos dimanasse, afferere non dubitem. Quid
dicam de QUALITATIBVS CORPORVM NAT.

Tom. I. Fasc. IV.

Aaa

IN-



INSENSIBILIBVS, quæ in sensus ipsos immediate non agunt, effectus tamen edunt in sensus incurrentes? Profecto neque ARISTOTELES neque SPERLINGIVS, neque alii antiquiores naturæ interpretes sibi & aliis satis faciunt. Nesciunt quid dicant de *Rhabarbari vi purgante*, nesciunt quid sentiant de *Medicamentorum, Venenorum, Antidotorum facultatibus & operationibus*, & aliarum plurium rerum ita sunt expertes, ut vel occultarum qualitatum, h. e. talium, qualium ratio genuina sit inexplicabilis, appellatione ipsis venire soleant, vel aliis confictis, ut cunque tamen speciosis vocabulis Αντιπάθειας, Sympathiae & Antipathiae ignorantiae occultandæ potius velum, quam occultæ cuiusdam qualitatis necessarium tegumentum querant. (d) Atenimvero longe penitus in absconditos quasi naturæ recessus penetravit recentior ætas, posteaquam ARS CHIMICA per Medicos accuratius, quam olim fuit exculta. Testantur hoc varia Medicorum monumenta a IAC. MANGETTO (e) collecta, & insensibilium qualitatum vim

(d) ut loquitur STVRMIVS, Phys. Erot. p. 129.
(e) in Bibliotheca chimica curiosa.

& operandi rationem non inexplicabilem esse, per singula medicamentorum genera pro eruditione sua egregie demonstravit illud Angliæ decus TH. WILLISIVS. (f) Quanto pere hodie consultum fuerit rei naturali per tota COLLEGIA instituta in GERMANIA, GAL-
LIA, ITALIA, ANGLIA, DANIA, unde tot *obser-*
vationes vel menstrua vel annua olim prodi-
erunt, & nunc prodeunt, nemo nisi rei lit-
terariæ imperitus, negabit. Ex quibus o-
mnibus, si quis Medicorum *observationes*
ex aliis velit colligere, facile *systema physi-*
cum confecerit. Rectissime etiam *huc re-*
feruntur ITINERARIA nonnulla MEDICORVM
præstantissima, v. g. RAVWOLFI, BELLONII,
BROWNII, KAEMPFERI &c. in quibus dili-
genter notarunt, quicquid rerum natura-
lium apud omnes gentes observarunt, de
quibus nos doceri interest. Facile intelligo,
paucissima me hic attigisse, quæ Medicis hac
in parte debemus. Illud tamen corollarii
loco hic adiiciam : *inesse omnibus Medicorum*
scriptis, quod ad culturam Physices & nostros
usus seponi possit.

Aaa 2

Hæc

(f) in aureo tractatu, quem Pharmaceuticen
rationalem inscripsit.



Hæc vero omnia non ideo scripsi, quasi ad Tuam, VIR Magnifice, pervenirent notitiam, qui rei litterariae peritissimus es; sed ut inde dicendi occasio mihi nasceretur de Tuis meritis in hoc studiorum genere amplissimis, quæ, etsi modestia Tua, si intata relinquerem, facile mihi condonaret, silere tamen non potui, cum exteri de iis loquantur. Quanta enim in perscrutandis rebus naturalibus Tua sit cura atque curiositas laudabilis, satis abunde testatur *Oryctographia Norica*, qua de lapidibus, in agro Norico passim occurrentibus, erudite disseris, accuratam lapidum divisionem, quam frustra hactenus omnes Physici quæsiverunt, suppeditas, ultro duodecim varietates Lithoxylorum ostendis, & alia plura valde curiosa & utilia de lapidibus figuratis refers, & ita nodum Gordium, in sententia hactenus valde dubia, feliciter dissolvis. Nihil nunc dicam de varijs dissertationibus Academicis Tuo auspicio & consilio editis, regnum cum vegetabile tum minerale illustrantibus; nihil de singulari Tua peritia, quam in studio chimico quotidie Tuis Auditoribus comprobas, edisseram, sed Musei Tui, vario doctrinæ monimentorum



torum apparatu repleti , mentionem tribus ,
ut aiunt , verbis faciam . Conservas ibi ex
omni fere terrarum tractu metalla & fossi-
lia . Ostendis curiosis spectatoribus uni-
versalis diluvii rudera , omni exceptione
maiora , varii generis insectorum , papilio-
num aliorumque animalium balsamo con-
ditorum corpora ut viva producis , & hæc
omnia naturali ordine nitidissime locata
quotidie auges & confirmas . Multos cer-
te peregrinantes hæc Tua solertia Altor-
fium traxit , Tu vero nullum , quem Te &
Tua vidisse pœniteret , dimisisti . Plura non
addam . Scio enim Te nec laude mea in-
digere , nec ea delectari . Ad illud potius
me nunc accingam , ut S P O N S V M Te allo-
quar , & magnopere gratuler institutum ,
quo & spes & res domestica Tua , præma-
turo obitu dilectissimæ coniugis valde per-
turbata , de novo fulciuntur . Ea enim a
casti coniugii autore Tibi iterum servata est
virgo , quæ digna , ut in nomen & decus
familiaæ asciscatur , vitæ socia salutetur , au-
spicatoque domum transferatur . Quæ
vota secunda ut lætissimo comprobentur
eventu , suspiria mea cum omnibus bene
Tibi cupientibus iungo , & ex animo precor ,

A a a 3

velit



velit S P O N S A Tua ætati esse subsidium,
domui robur , curis levamentum & vita
universæ gaudium perpetuum atque stabile.
Tuam vero in primis salutem, V I R Magnifi-
ce, tueatur D E V S, Teque in Academiæ nostra
decus porro conservet salvum & incola-
mem, easq; Tibi vires donet, quas nulla tem-
porum iniuria facile labefactet. Vale, & me
porro Tibi commendatum habe. (*) Scri-
bebam Altdorf I d. III. Nonarum Februarii,
A. R. S. clc lccc xx.

(*) Fructum huius voti tulit postmodum Auctor
doctissimus , quem ad Professoris Norimber-
gensis munus A. 1722. ut ex eiusd. program-
mate , quod sectione prima exhibuimus, pa-
tet, vocatum, dignissimum habuit Cel. Dn.
D. Baierus , ut generum suum, ab illo tem-
pore, esse voluerit; conf. huius Sylloges Fasc.
III. p. 543. Cæterum epistolam hanc gratul.
ex unico, quod Cl. Apino supereft, exempla-
ri, cum reliqua dudum distracta sint, recudi
ad votum ipsius iubemus , quod ita amicis
suis , qui ipsum iterum iterumque de hac epi-
stola adhuc interpellarunt, gratificari lubens
promptusque voluit.



IV.

ANDREAE SAM. GESNERI,
Rectoris (*) Gymnasii Rotenbur-
gensis ad Tubarim,

PROGRAMMA

De nonnullis Bibliothecæ
Reipublicæ Rotenburgensis
memorabilibus.

Praestantissima quæque veterum recen-
tiorumque scriptorum monumenta di-
ligenter colligi, atque ad communem ho-
minum studiosorum usum destinari, & ve-
hementer utile, & , pro locorum tempo-
rumque conditione, plane necessarium in-
A a a 4 terdum

(*) Huius viri doctissimi, qui frater est illius
GESNERI, qui Vinarium suam, imo orbem li-
teratum, tantopere ornat , aliud Programma
laudavimus in Syllog. nostræ Fas. I. p. 183. sqq.
Præsens eruditis non minus probatum iri ,
iudicamus , et si ille, qua est modestia . per
literas nobis significavit, non eo consilio id
scriptum a se esse , ut ab omnibus legeretur.